



CULEGERE DE TEXTE LATINE

Vol. II

Lector MARIA HETCO
Asist. FLORICA DEMETRESCU
Asist. JANINA UNGURU

60199
BIBLIOTECĂ DE LIMBI ROMANICE
UNIVERSITATEA BUCUREȘTI

III 21.817

U N I V E R S I T A T E A B U C U R E S T I

F A C U L T A T E A D E L I M B I R O M A N I C E S I C L A S I C E

C U L E G E R E

D E

T E X T E L A T I N E

vol. II

Lector MARIA HETCO

Asist. FLORICA DEMETRESCU

Asist. JANINA UNGURU

BIBLIOTHECA INSTITUTULUI DE LINGVISTICA
INVENTAR CARTI Nr. 2299

BUCURESTI

1969

Elogiul vieții de la țară

O fortunatos nimium, sua si bona norint
 agricolas ! quibus ipsa, procul discordibus armis,
 fundit humo facilem uictum iustissima tellus.
 Si non ingentem foribus domus alta superbis
 mane salutantum totis uomit aedibus undam
 nec uarios inhiant pulchra testudine postis
 inclusasque auro uestis Ephyreisque aera,
 alba neque Assyrio fucatur lana ueneno
 nec casia liquidi corrumpitur usus oliui,
 at secura quies et nescia fallere uita,
 diues opum uariarum, et latis otia fundis,
 speluncae, uiuique locus, et frigida Tempe
 mugitusque bouum mollesque sub arbore somni
 non absunt ; illic saltus ac lustra ferarum
 et patiens operum exiguaeque assueta iuuentus,
 sacra deum sanctique patres ; extrema per illos
 iustitia excedens terris uestigia fecit.

Me uero primum dulces ante omnia Musae,
 quarum sacra fero ingenti percussus amore,
 accipiant caelique uias et sidera monstrent,
~~defectus~~
~~solis~~ solis uarios lunaeque labores,
 unde tremor terris, qua ui maria alta tumescant
 obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
 quid tantum Oceano properent se tingere soles
 hiberni, uel quae tardis mora noctibus obstet.
 Sin, has ne possim naturae accedere partis,
 frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,
 rara mihi et rigui placeant in uallibus amnes,
~~flumina anem silu~~ flumina anem siluaeque inglorius. O ubi campi
 Spercheosque et uirginibus bacchata Lacaenis
 Taugeta ! o qui me gelidis in uallibus Haemi
 sistat et ingenti ramorum protegat umbra !

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
 atque metus omnis et inexorabile fatum
 subiecit pedibus strepitumque Acheruntis auari !

Fortunatus et ille deos qui nouit agrestis,
 Panaque Siluanumque senem Nymphasque sorores !
 Illum non populi fascēs, non purpura regum
 Flexit et infidos agitans discordia fratres
 aut coniurato descendens Dacus ab Histro ;
 non res Romanae parituraque regna ; neque ille
 aut doluit miserans inopem aut inuidit habenti.
 Quos rami fructus, quos ipsa uolentia rara
 sponte tulere sua, carpsit nec ferrea iura
 insanumque forum aut populi tabularia uidit.

Sollicitant alii remis freta caeca ruuntque
 in ferrum; penetrant aulas et limina regum.
 Hic petit excidiis urbem miserisque Penatis,
 ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro ;
 condit opes alius defossoque incubat auro ;
 hic stupet attonitus rostris; hunc plausus hiantem
 per cuneos, geminatus enim, plebisque patrumque
 corripuit ; gaudent perfusi sanguine fratrum
 exilioque domos et dulcia lūmina mutant
 atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.
 Agricola ingruo terram dimouit aratro :
 hinc anni labor, hinc patriam paruosque nepotes
 sustinet, hinc armenta boum meritosque iuuenos ;
 nec requies, quin aut pomis exuberet annus
 aut fetu pecorum ~~et~~ aut Cerealis mergite culmi
 prouentuque oneret sulcos atque horrea uincat.
 Venit hiems : teritur Sicyonia baca trapetis ;
 glonde sues laeti redeunt ; dant arbuta siluae ;
 et uarios & ponit fetus autumnus, et alte
 mitis in apriciis coquitur uindemia saxis.
 Interea dulces pendent circum oscula nati,
 casta pudicitiam seruat domus, ubera uaccae
 lactea demittunt, pinguesque in gramine laeto
 inter se aduersis luctantur cornibus haedi.
 Ipse dies agit festos fususque per herbam,
 ignis ubi in medio et socii cratera coronant,

te, libans, Lenaeae, uocat, ~~perisrisque~~ pecorisque magistris
 uelocis iaculi certamina ponit in ulmo,
 corporaque agresti nudat praedura palaestra.
 Hanc olim ueteres uitam coluere Sabini,
 hanc Remus et frater ; sic fortis Etruria creuit
 scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma
 septemque una sibi muro circumdedit arces.
 Ante etiam sceptrum Dictaei regis et ante
 impia quam caesis gens est epulata iuuentis,
 aureus hanc uitam in terris Saturnus agebat ;
 necdum etiam audierant inflari classica, necdum
 impositos duris crepitare incudibus ensis.

Orfeu si Euridice

Ipsa caua solans aegrum testudine amorem
te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,
te ueniente die, te decendente canebat.

Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
et caligantem nigra formidine lucum
ingressus Manisque adiit regemque tremendum
nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotae Erebi de sedibus imis
umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,
quam multa in foliis apium se milia condunt,
Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,
matres atque uiri defunctaque corpora uita
magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae
impositique rogis iuuenes ante ora parentum ;
quos circum limus niger et deformis harundo
Cocytii tardaue palus inamabilis unda
alligat et nouiens Styx interfusa coercet.
Quin ipsae stupuere domus atque intima Leti
Tartara caeruleosque implexae crinibus angues
Eumenides tenuitque inhians tria Cerberus ora
atque Ixionii uento rota constitit orbis.
Iamque pedem referens casus euaserat omnis
redditaque Eurydice superas ueniebat ad auras
pone sequens (namque) hanc dederat Proserpina legem),
cum subita incautum dementia cepit amantem,
ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes :
restitit Eurydicenque suam iam luce sub ipsa
immemor heu ! uictusque animi respexit. Ibi omnis
effusus labor atque immitis rupta tyranni
foedera, terque fragor stagnis auditus Auernei.
Illa : "Quis et me" inquit "miseram et te perditit,

Orpheu,

"Quis tantus furor ? En iterum cradelia retro.

"fata uocant conditque natantia lumina somnus."

"Iamque uale : feror ingenti circumdata nocte
 "inualidasque tibi tendens, heu ! non tua, palmas."
 Dixit et ex oculis subito, ceu fumus in auras
 commixtus tenuis, fugit diuersa, neque illum
 pressantem nequiquam umbras et multa uolentem
 dicere praeterea uidit ; nec portitor Orci
 amplius obiectam passus transire paludem.
 Quid faceret ? quo se rapta bis coniuge ferret ?
 Quo fletu Manis, quae numina uoce moueret ?
 Illa quidem Stygia nabat iam frigida cymba.
 Septem illum totos perhibent ex ordine mensis
 rupe sub aera deserti ad Strymonis undam
 fleuisse et gelidis haec euoluisse sub antris
 mulcentem tigris et agentem carmine quercus.
 Qualis populea maerens Philomela sub umbra
 amissos queritur fetus, quos durus arator
 obseruans nido implumis detraxit ; at illa
 flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
 integrat et maestis late loca questibus implet.
 Nulla uenus, non ulli animum flexere hymenaei.
 Solus Hyperboreas glacies Tanaimque niuaem
 aruaque Riphacis numquam uiduata pruinis
 lustrabat, raptam Eurydicen atque inrita Ditis
 dona querens ; spretae Ciconum quo munera matres
 inter sacra deum nocturnique orgia Becchi
 discerptum latos iuuenem sparsere per agros.
 Tum quoque marmorea caput a ceruice reuolsum
 gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
 uolueret, Eurydicen uox ipsa et frigida lingua
 ah ! miseram Eurydicen anima fugiente uocabat ;
 Eurydicen toto referebant flumine ripae. "

F U R T U N A

Haec ubi dicta, cauom conuersa cuspide montem
impulit in latus : ac uenti uelut agmine facto,
qua data porta, ruont et terras turbine perflant.
Incubuerunt mari totumque a sedibus imis
una Eurusque Notusque ruont creberque procellis
Africus et uastos uoluunt ad litora fluctus ;
insequitur clamorque uirum stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes caelumque diemque
Teucrorum ex oculis ; ponto nox incubat atra.
Intonuere poli et crebris micat ignibus aether
praesentemque uiris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae soluuntur frigore membra ;
ingemit et duplicis tendens ad sidera palmas
taliam uoce refert : "O terque quaterque beati,
quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
contigit oppetere ! o Danaum fortissime gentis
Tydide ! mene Iliacis occumbere campis
non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra,
saeuos ubi Aecidae telo iacet Hector, ubi ingens
Sarpedon, ubi tot Sinois correpta sub undis
scuta uirum galeasque et fortia corpora uoluit !"

Talia iactanti stridens Aquilone procella
uelum aduersas ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi, tum prora auertit et undis
dat latus, insequitur cumulo praeruptus aquae mons.
Hi summo in fluctu pendent ; his unda dehiscens
terram inter fluctus aperit, furit aestus harenis.
Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet
(saxa uocant Itali mediis quae in fluctibus Aras,
dorsum immane mari summo), tris Eurus ab alto
in breuia et syrtis urget, miserabile uisu,
inliditque uadis atque aggere cingit harenae.

Vnam, quae Lycios fidumque auebat Oronten,
ipsius ante oculos ingens a uertice pontus
in puppim ferit ; excutitur pronusque magister
uoluitur in caput ; ast illam ter fluctus ibidem
torquet agens circum et rapidus uorat aequore uertex.
Apparent rari nantes in gurgite uasto,
arma uirum tabulaeque et Troia gaza per undas.
Iam ualidam Ilionei nauem, iam fortis Achatae,
et qua uectus Abas, et qua grandaeuos Aletes,
uicit hiems ; laxis laterum compagibus omnes
accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.

Sfîrsitul lui Priam

Forsitan et Priami fuerint quae fata requiras.
Vrbis uti captae casum conuolsaque uidit
limina tectorum et medium in penetralibus hostem,
arma diu senior desueta trementibus aeuo
circumdat nequiquam umeris et inutile ferrum
cingitur, ac densos fertur moriturus in hostis.
Aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe
ingens ara fuit iuxtaque ueterrima laurus
incumbens arae atque umbra complexa penatis.
Hic Hecuba et natae nequiquam altaria circum,
praecipites atra ceu tempestate columbae,
condensae et diuom amplexae simulacra sedebant.
Ipsam autem sumptis Priamum iuuenalibus armis
ut uidit, "Quae mens tam dira, miserrime coniunx,
impulit his cingi telis ? aut quo ruis ?" inquit.
"Non tali auxilio nec defensoribus istis
tempus eget ; non, si ipse meus nunc adforet Hector.
Huc tandem concede ; haec ara tuebitur omnis,
aut moriere simul. "Sic ore effata recepit
ad sese et sacra longaeuom in sede locauit.

Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites,
unus natorum Priami, per tela, per hostis
porticibus longis fugit et uacua atria lustrat
saucius. Illum ardens infesto uolnere Pyrrhus
insequitur, iam iamque manu tenet et premit hasta.
Vt tandem tandem ante oculos euasit et ora parentum,
concidit ac multo uitam cum sanguine fudit,
Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
non tamen abstinuit nec uoci iraeque pepercit :
"At tibi pro scelere" exclamat "pro talibus ausis,
di, si qua est caelo pietas quae talia curet,
persoluant grates dignas et praemia reddant
debita, qui nati coram me cernere letum

fecisti et patrios foedasti funera uoltus.
 At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
 talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidenque
 supplicis erubuit corpusque exsanguis sepulcro
 reddidit Hectoreum meque in mea regna remisit."
 Sic fatus senior telumque imbellis sine ictu
 coniecit, rauco quod protinus aere repulsum,
 et summo clipei nequiquam umbone pependit.
 Cui Pyrrhus: "Referes ergo haec et nuntius ibis
 Pelidae genitori. Illi mea tristitia facta
 degeneremque Neoptoleum narrare memento.
 Nunc morere. "Hoc dicens altaria ad ipsa trementem
 traxit et in multo lapsantem sanguine nati,
 implicuitque comam laeua, dextraque coruscum
 extulit ac lateri capulo tenus abdidit ansem.

AENEIS

LIBER III

Andromacha

Hic incredibilis rerum fama occupat auris,
 Priamiden Helenum Graias regnare per urbis
 coniugio Aescidae Pyrrhi sceptrisque potitum,
 et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
 Obstipui miroque incensum pectus amore
 compellare uirum et casus cognoscere tantos.
 Progređior portu classis et litora linquens,
 sollennis cum forte dapes et tristia dona
 ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam
 libabat cineri Andromache manisque uocabat
 Hectoreum ad tumulum, uiridi quem caespite inanem
 et geminas, causam lacrimis, sacrauerat aras.
 Vt me conspexit uenientem et Trois ~~ex~~ circum
 arma amens uidit, magnis exterrita monstribus
 deriguit uisu in medio, calor ossa reliquit;
 labitur et longo uix tandem tempore fatur:
 "Verane te facies, uerus mihi muntius adfers,
 nate dea? uiuisne? aut, si lux alma recessit,
 Hector ubi est?" Dixit, lacrimasque effudit et omnem
~~inx~~ impleuit clamore locum. Vix pauca furenti
 subicio et reris turbatus uocibus hisco:
 "Vino equidem uitamque extrema per omnia duco;
 ne dubita, nam uera uides.
 Heu! quis te casus delectam conigue tanto
 excipit, aut quae digna satis fortuna reuisit
 Hectoris Andromachen? Pyrrhin conubia seruas?"

Nec minus Andromache digressu maesta supremo
 fert picturatas auri subtemine aëstis
 et Phrygiam Ascanio chlamydem (nec cedit honori)
 textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
 "Accipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum
 sint, puer, et longum Andromachae testentur amorem,
 coniugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,
 o mihi sola mei super Astyanactis imago.
 Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
 et nunc aequali tecum pubesceret aeuo."

A E N E I S

LIBER IV

Passiunea Didonei

Vritur infelix Dido totaque uagatur
 urbe furens, qualis coniecta cerua sagitta,
 quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
 pastor agens telis liquitque uolatile ferrum
 nescius ; illa fuga siluas saltusque peragrat
 Dictaeos ; haeret lateri letalis harundo.
 Nunc media Aenean secum per moenia ducit
 Sidoniasque ostentat opes urbemque paratam,
 incipit effari mediaque in uoce resistit ;
 nunc eadem labente die conuiuia quaerit,
 Iliacosque iterum demens audire labores
 exposcit pendetque iterum narrantis ab ore.
 Post ubi digressi, lumenque obscura ~~mix~~ uicissim
 luna premit suadentque cadentia sidera somnos,
 sola dono maeret uacua stratisque relictis
 incubat. Illum absens absentem auditque uidetque,
 aut gremio Ascanium genitoris imagine capta
 detinet, infandum si fallere possit amorem.
 Non coeptae adsurgunt turres, non arma iuuentus
 exercet portusue aut propugnacula bello
 tuta parant ; pendent opera interrupta minaeque
 murorum ingentes aequataque machina caelo.

P a s t e l

Nox erat et placidum carpebant fessa soporem
 corpora per terras, silvaeque et saeua quierant
 aequora, cum medio uoluontur sidera lapsu,
 cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque uolucres,
 quaeque lacus late liquidos quaeque aspera dumis
 rura tenent, somno positae sub nocte silenti.
 At non infelix animi Phoenissa neque umquam
 soluitur in somnos oculisue aut pectore noctem
 accipit : ingeminant curae rursusque resurgens
 saeuit amor magnoque irarum fluctuat aestu.

Intîlnirea lui Aeneas cu Andrises

At pater Anchises penitus conualle uirenti
 inclusas animas superumque ad lumen ituras
 lustrabat studio recolens, omnemque suorum
 forte recensebat numerum, carosque nepotes
 fataque fortunasque uirum moresque ~~manusque~~ manusque.
 Isque ubi tendentem aduersum per gramina uidit
 Aenean, alacris palmas utrasque tetendit,
 effusaeque genis lacrimae et uox excidit ore
 "Venisti tandem, tuaque exspectata parenti
 uicit iter durum pietas ? datur ora tueri,
 nate, tua et notas audire et reddere uoces ?
 Sic equidem ducebam animo rebarque futurum
 tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.
 Quas ego te terras et quanta per aequora uectum
 accipio ! quantis iactatum, nate, periclis !

Quam metui ne quid Libyae tibi regna nocerent !"
 Ille autem: "Tua me, genitor, tua tristis imago
 saepius occurrens haec limina tendere adegit ;
 stant sale Tyrrheno classes. Da iungere dextram,
 da, genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro."
 Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
 Ter constatus ibi collo dare bracchia circum ;
 ter frustra comprehensa manus ~~eff~~ effugit imago,
 per leuibus uentis uolucrique simillima somno.

X.

Idei literare

Nempe incomposito dixi pede currere uersus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est
Ut non hoc fatetur? at idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribunes dederim quoque cetera; nam
Et Laberi mimos ut pulchra poemata mirer.
Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris; et est quaedam tamen hic quoque uirtus.
Est breuitate opus, ut currat sententia neu se
Impediat uerbis lassas onerantibus aures,
Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
Defendente uicem modo rhetoris atque poetae,
Interdum urbani parcentis uiribus atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.
Illi, scripta quibus comoedia prisca uiris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi, quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit neque simius iste
Nil praeter Caluum et doctus cantare Catullum.
— At magnum fecit, quod uerbis Graeco Latinis
Miscuit. — O seri studiorum, quine putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? — At sermo liⁿqua concinnus utraque
Suauior, ut Chio nota si commixta Falerni est. —
Cum uersus facias, te ipsum percontor, an et cum
Dura itibi peragenda rei sit causa Petilli?
Scilicet oblitus patriaeque patrisque Latini,
Cum Pedius causas exsudet Poplicola atque
Coruinus, patriis intermiscere petita

Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
Atque ego cum graecos facerem, natus mare citra,
Versiculos, uertit me tali uoce Quirinus,
Post mediam noctem uisus, cum somnia uera:
"In siluam non ligna feras insanius ac si
Magnas Graecorum malis implere ceteruas".
Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque
Defingit Rhēni luteum caput, haec ego ludo,
Quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa
Nec redeant iterum ^{atque} spectanda theatri.
Arguta meretrice postes Dauoque Chremeta
Eludente senem comis garrire libellos
Vnus uiuorum Fundani; Polio regum
Facta canit pede ter percusso; forte epos acer,
Vt nemo, Varius ducit; molle atque facetum
Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inuentore minor, neque ego illi detrahens ausim
Haerentem capiti cum multa laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda reliquendis. Age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet uersus Enni grauitate minores,
Cum de se loquitur non ut maiore repressis?
Quid uetat et nosmet Lucili scripta legentes
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius ac siquis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scilicet ^rducentos
Ante cibum uersus, totidem cenatus? Etrusci
Quale fuit Cassi rapido feruentius anni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus, fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor

Quamque poetarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato delapsus in aeuum,
Detereretsibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur et in uersu, faciendo
Saepe caput scaberet uiuos et roderet ungues,
Saepe stilum uertas, iterum quae digna legi sint
Scripturus, neque te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego; nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax
Contemptis aliis explosa Arbuscula dixit.
Men moueat cimex Pantilius, aut cruciet quod
Vellicet absentem Demetrius aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conuius Tigelli?
Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque,
Valigus et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegata te dicere possum,
Polio, te, Messalla, tua cum fratre, simulque
Vos, Bibule et Serui, simul his te, candide Furni,
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo, quibus haec, sint qualia cumque,
Adridere uelim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter iubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus haec subscribe libello.

Epistula ad Pisones

De arte Poetica

vers 1-23.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si uelit et uarias inducere plumas,
Vindique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis, amici?
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
Persimilem, cuius, uelut aegri somnia, uanae

Fingentur species, ut nec pes nec caput uni
 Reddatur formae. - Pictoribus atque poetis
 Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. -
 Scimus et hancueniam petimusque damusque uicissim,
 Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
 Serpentes aubus gementur, tigribus agni.
 Inceptis grauibz plerumque et magna professis
 Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
 Adsuitur pannus, cum lucus et ara Dianae
 Et properantis aquae per amoenos ambitus agros
 Aut flumen Rhenum aut pluuius describitur arcus.
 Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum
 Scis simulare: quid hoc, si Eractis enatat exspes
 Nauibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit
 Institui; corrente rota, cur urceam exit?
 Denique sit quoduis, simplex dumtaxat et unum.....
 In uerbis etiam tenuis cautusque serendis **vers(45-72)**
 Dixeris egregie, notum si callida uerbum
 Rediderit junctura nouum. Si forte necesse est
 Indiciis monstrare recentibus abdita rerum, et
 Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
 Continget dabiturque licentia sumpte pudenter,
 Et noue fiotaque nuper habebunt uerbo fidem, si
 Graeco fonte cadent parce detorta. Quid autem
 Caecilio Plautoque debet Romanus, ~~ademptum~~
 Vergilio Varroque? ego cur, ~~adquirere~~ pauca
 Si possum inuideor, cum lingua Catonis et Enni
 Sermonem patrium ditauerit et noua rerum
 Nomina protulerit? licuit semperque licebat
 Signatum praesente nota producere nomen.
 Vt siluae foliis pronos mutantur in annos,
 Prima cadunt, ita uerborum uetus interit aetas,
 Et iuuenum ritu florent modo nata uigentque.
 Debemur morti nos nostraque. Sive receptus
 Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
 Regis opus, sterilisue diu palus aptaque remis
 Vicinas urbes alit et graue sentit aratrum,
 Seu cursum mutauit iniquum frugibus annis,

Doctus iter melius: mortalis facta peribunt,
Nedum sermonum stet Monos et gratia uiuax.
Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc in honore uocabula, si uolet usus
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.
Tu quid ego et populus mecum desideret audi,.....
Si plororis eges aulaaa manentis et usque vers(153-192)
Sessuri donec cantor: "Vos plaudite", dicat.
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
Reddere qui uoces iam scit puer et pede certo
Signat humum, gestit peribus colludere et iram
Colligit ac ponit temere et mutatur in horas.
Imberbus iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
Cereus in uitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus aeris,
Sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.
Conuersis studius aetas animusque uirilis
Quaerit opes et amicitias, inseruit honori,
Commisisse cauet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumueniunt incommoda, uel quod
Quaerit et inuentis miser abstinet ac timet uti,
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners audiusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator censorque minorum.
Multa ferunt anni uenientes comoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur iuueni partes pueroque uiriles;
Semper in adiunctis aeuoque morabimur aptis.
Aut agitur res in scaenis aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
Ipse sibi tradit spectator; non tamen intus
Digna geri promes in scaenam multaue tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens:

Ne pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in suam Progne uertatur, Cadmus in anguem;
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neue minor neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci uult et spectanda reponi;
Nec deus intersit nisi dignus uindictae nodus
Inciderit, nec quarta loqui persona laboret.

Carmina

Liber primus

Ad Maecenatem

I

Maecenas atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum,
Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegisse iuuat metaeque feruidis
Euitata rotis palmaeque nobilis
Terrarum dominos euehit ad deos;
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergemini tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis ueritur arcis.
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis condicionibus
Numquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta secet mare;
Luctantem Icaris fluctibus Africum
Mercator metuenos otium et oppidi
Laudat rura sua, mox reflicit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati
Est qui nec ueteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc uiridi membra sub arbute
Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
Multos castra iuuant et lituo tubae

Permixtus sonitus bellaque matribus
Detestata; manet sub Ioue frigido
Venator tenerae coniugis inmemor,
Seu uisa est catulis cerua fidelibus,
Seu rupit testes Marsus aper plagas.
Me doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumque leues cum Satyris chori
Secerunt populo, si neque tibus
Euterpe cohibet nec Polihymnia
Lesboun refugit tendere barbiton;
Quod si me lyricis uatibus inseras,
Sublimi feriam sidera uertice.

Ad Sestium

XV

Soluitur acris hiems grata uice ueris et Fauoni
Trahuntque siccæ machinæ carinas,
Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna
Functæque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiant pede, dum graues Cyclopum
Volcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut uiridi nitidum caput impedire myrto
Aut flore, terræ quem ferunt solutæ;
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agna siue malit haedo.
Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres. O beate Sesti,
Vitæ summa brevis spem nos uetat inchoare longam.
Iam te premet nox fabulæque Manes
Et domus exilis Plutonia, quo simul mearis,
Nec regna uini sortiære talis....

Ad Thaliarchum

IX

Vide, ut alta aine candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
Silvae laborantes gelugae.
Flumina constiterint acuto.
Dissolue frigus ligna super foco
Large reprensus atque benignius
Deprome quadrium Sabina,
O Thaliarche, merum diota.
Permitte diuis cetera; qui simul
Strauere uentos aequore feruido
Deproeliantes, nec cupressi
Nec ueteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
Quem fors dierum cumque dabit lucro
Appone nec dulces amores
Sperne puer neque tu choreas,
Donec uirenti canites abest
Morosa. Nunc et campus et arcae
Denesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora;
Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo
Pignusque dereptum lacertis
Aut digito male pertinaci

Ad Leuconoe

Tu ne quaesieris (scire nefas)? quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
Temporis numeros. Ut melius quidquid erit patii
Seu plures hieme seu tribuit Iuppiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum sapias, uina liques et spatio breui
Spem longam resecesi Dum loquimur, fugerit inuida
Aetas; carpe diem quam minimum credula postero.

Ad PostumumXIV

Eheu fugaces, Postume, Postume,
 Labuntur anni, nec pietas moram
 Rugis et instanti senectae
 Adferet indomitaeque morti;
 Non, si tresenis, quotquot eunt dies,
 Amice, places illacrimabilem
 Plutoni tauris, qui ter amplum
 Geryonem Tityonque tristi
 Compescit unda, scilicet omnibus,
 Quicumque terras munere uescimur,
 Enauiganda, siue reges
 Siue inopes erimus coloni.
 Frustra cruento Marte carebimus
 Fractisque rauci fluctibus Hadriae,
 Frustra per autumnos nocentem
 Corporibus metuemus Austrum;
 Visendus ater flumine languido
 Cocytos errans et Danaï genus
 Infame damnatusque longi
 Sisyphus Aeolides laboris.
 Liguenda tellus et domus et placens
 Vxor, neque harum quas calis arborum
 Te praeter inuisas cupressos
 Vlla breuem dominum sequetur;
 Absumet heres Caecuba diger
 Seruata centum clauibus et mero
 Tinget pavimentum superbis
 Pontificum potiore cenis

Ad GrosphumXVI

Otium diuos rogat in patenti
 Prencus Aegaeo, simul astra nubes

Condidit lunam neque certa fulgent
Sidera caelis;
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosche non gemmis neque purpura ue-
nale neque auro.
Non enim gazae neque consularis
Submouet lictor miseros tumultus
Mentis et curas laqueata circum
Tecte uolantes
Viuatur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum
Nec leues somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.
Quid breui fortes isculamur aeuo
Multae? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriae quis exul
Se quoque fugit?
Scandit aeratas uitiose naues
Cura nec turmas equitum relinquit,
Ocius ceruis et egentes nimbos
Ocius Euro.
Laetus in praesens animus quod ultra est
Oderit curare et amara lento
Temperat risu; nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit claxum cito mors Achillem
Longa Tithonum minuit senectus
Et mihi forsitan, tibi quod negarit
Porriget hora
Te greges centum Siculaeque circum
Mugiant vaccae, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
Murice tinctae
Vestiunt lanee; mihi parua rura et
Spiritus Graiae tenem Camenae
Parca non mendax dedit et malignum
Spernere uolgens.

Ad RomanosII

Angustam amice pauperiem pati
 Robustus acri militis puer
 Condiscat et Parthos feroces
 Vexet eques metuendos hasta
 Vitamque sub diuo et trepidis agat
 In rebus, illum ex moenibus hosticis
 Matrona bellantis tyranni
 Prospiciens et adulta uirgo
 Suspiret: Eheu, nā rudis agmimum
 Sponsus lacessat regius asperum
 Tactu leonem, quem cruenta
 Per medias rapit ira caedes.
 Dulce et decorum est pro patria mori;
 Mors et fugacem persequitur uirum
 Nec parcit inbellis iuventae
 Poplitibus timidos tergo.
 Virtus, repulsae nescia sordidae,
 Intaminatis fulget honoribus
 Nec sumit aut ponit secures
 Arbitrio popularis auras.
 Virtus, recludens immeritis mori
 Caelum, negata temptat iter uia
 Coetusque uolgares et udam
 Spernit humum fugiente pinna.
 Est et fideli tuta silentio
 Merces: uetabo, qui Cereris sacrum
 Volgarit arcanæ, sub isdem
 Sit trabibus fragilisque mecum
 Soluat phaselon; saepe Diespiter
 Neglectus incesto addidit integrum;
 Raro antecedentem scelestum
 Deseruit pede Poena claudio

Ad fontem Bandusiae

XIII

O fons Bandusiae, splendidior uitro,
Dulci digne mero non sine floribus,
Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus
Primis et uenerem et proelia destinat.
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine riuos
Lasciui suboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere; tu frigus amabile
Fessis uomere tauris
Praebes et pecori uago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cauis impositam illicem?
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

Ad amphoram

XXI

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querellas siue geris iocos
Seu rixam et insanos amores
Seu facilem, pia testa, somnum.
Quocumque lectum nomine Massicum
Seruas, moueri digna bono die,
Descende, Cornino iubente
Promere languidiora uina.
Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negleget horridus;
Narratur et prisca Catonis
Saepe mero caluisse uirtus.
Tu lene tormentum ingenio admoues
Plerumque duro, tu sapientium
Curas et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo;

Tu spem reducis mentibus anxiiis
Viresque et addis cornua pauperi.,.
Post te neque iratos trementi
Regnum apices neque militum arma.
Te Liber et si laeta aderit Venus
Segnesque nodum soluere Gratiae
Viuaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

Ad Melpomenem

XXX

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis
Annotum series et fuga temporum.
Non omnis moriar multaue pars mei
Vitabit Libitinam; usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita uirgine pontifex.
Dicar, qua uiolens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnauit populorum ex humili potens,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quaesitam meritis et mihi Delphica
Lauro cinge uolens, Melpomene, comam.

Distrugerea Albei

XXIX Iam praemissi Alban erant equites, qui multitudinem tradu-
cerent Roman. Legiones deinde ductae ad diruendam urbem. Quae
ubi intrauere portas, non quidem fuit tumultus ille nec pavor,
qualis captarum esse urbium solet, cum, effractis portis stra-
tisque ariete muris aut arce ui capta, clamor hostilis et con-
sus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet; sed silen-
tium triste ac tacita maestitia ita defixit omnium animos ut,
prae metu obliti quid relinquerent, quid secum ferrent, defi-
ciente consilio rogitantesque alii alios, nunc in liminibus
starent, nunc errabundi domos suas, ultimum illud uisuri, per-
uagarentur. Vt uero iam equitum clamor exire iubentium inste-
bat, iam fragor tectorum quae diruebantur ultimis urbis parti-
bus audiebatur puluisque ex distantibus locis ortus uelut nube
inducta omnia impleuerat, raptim quibus quisque poterat elatis
cum Larum ac Penates tecta in quibus natus quisque educatus-
que esset relinquentes exirent, iam continens egmen migrantium
impleuerat uias. Et conspectus aliorum mutua miseratione inte-
grabat lacrimis, uocesque etiam miserabiles exaudiebantur;
mulierum praecipue, cum obsessa ab armatis templa augusta praec-
terirent ac uelut captos relinquerent Deos. Egressis urbe
Albanis, Romanus passim publice priuataque omnia tecta adae-
quat solo, unaque hora quadringentorum annorum opus, quibus
Alba steterat, excidio ac ruinis dedit. Templis tamen Deum
(ita enim ab rege edictum fuerat) temperatum est.

Liber secundusCoriolan

XL Tum matronae ad Veturiam matrem Coriolani Voluntiamque

uxorem frequentes coeunt. id publicum consilium an muliebris timor fuerit, parum inuenio; peruicacem certe ut et Veturia, magnonatu mulier, et Volumnia, duos paruos ex Marzio ferens filios, secum in castra hostium irent, et, quoniam armis uiri defendere urbem non possent, mulieres precibus lacrimisque defenderent. Vbi ad castra uentum est nuntiaturque Coriolano est adesse ingens mulierum agmen, primo, ut qui nec publica maiestate in legatis nec in sacerdotibus tante offusa oculis animoque religione motus esset, multo obstinatior aduersus lacrimas muliebres erat. Dein familiarium quidam, qui insignem maestitia inter ceteras cognouerat Veturiam, inter nurum nepotesque stantem: "Nisi me frustantur, inquit, oculi, mater tibi coniuxque et liberi edsunt?" Coriolanus prope ut amens consternatus ab urbe sua cum ferret matri obuiam complexum, mulier in iram ex precibus uersa: "Sine, priusquam complexum accipio, sciam, inquit, ad hostem an filium ueneris? ~~captiua paterna in castris tuis sis. In hoc me~~ longa uita et infelix senectas traxit, ut exulam te, deinde hostem uiderem? Potuisti populari hanc terram, quae te genuit atque aluit? Non tibi, quamuis infesto animo et minaci perueneras, ingredienti fines ira coecidit? Non, cum in conspectu Roma fuit, succurrit: Intra illa moenia domus ac fenestres mei sunt, mater, coniux liberique? Ergo, ego nisi peperissem, Rome non oppugnaretur! Nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem! Sed ego nihil iam pati nec tibi ^{turpius} miserum possum, nec ut sum miserum diu futura sum; de his uideris, quos, si pergis, aut immatura mors aut longa seruitus manet." Vxor deinde ac liberi amplexi, fletusque ab omni turba mulierum ortus et comploratio eui patriaeque fregere tandem uisum. Complexus inde subs dimittit; ipse retro ab urbe castra mouit. Abductis deinde legionibus ex agro Romano, inuidia rei oppressum perisse tradunt alii alio leto. Apud Fabium, longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem uixisse eundem inuenio; refert certe hanc saepe eum exacta aetate usurpasse uocem, multo miserius seni exsilium esse. Non inuiderunt laude sua mulieribus uiri Romani: adeo sine ^{alienae} obtreptionis gloriae uiuebatur! Monumento quoque quod esset, templum Fortunae Muliebris edificatum dedicatumque est.

Furcile caudine

V.

Redintegravit luctum in castris consulum aduentus, ut uix ab iis abstinerent manus quorum temeritate in eum locum deducti essent, quorum ingenua foedius inde quam uenissent abituri: "illis non ducem locorum, non exploratorem fuisse; beluorum modo caecos in foueam missos." Alii alios inuteri; contemplari arma mox tradenda et inermes futuras dexteras obnoxioque corpora hosti; proponere sibi et ipsi ante oculos iugum hostile et ludibria et uultus superbos et per armatos inermium iter, inde foedi agminis miserabilem uiam per sociorum urbes, reditum in patriam ad parentes, quo saepe ipsi maioresque eorum triumphantes uenissent: "se solos sine uulnere, sine ferro, sine acie uictos; sibi non stringere licuisse gladios, non manum cum hoste conferre; sibi nequiquam arma, nequiquam uires, nequiquam animos datos." Haec frementibus hora fatalis ignominiae aduenit, omnia tristiora experiendo factura quam quae praeceperant animis. Iam primum cum singulis uestimentis inermes extra uallum exire iussi, et primi traditi obsides atque in custodiam abducti. Cum a consulibus abire lictores iussi paludamentaue detracta; id tantum inter ipsos qui paulo ante eos exsecrantes dedendos lacerandoque censuerant miserationem fecit ut suae quisque condicionis oblitus ab illa deformatione tantae maiestatis, uelut ab nefando spectaculo, auerteret oculos.

VI Primi consules propre sēmiundi sub iugum missi, tum, ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiae obiectus; tum deinceps singulae legiones. Circumstabant armati hostes, exprobrantes eludentesque; gladii etiam plerisque intentanti, et uulnerati quidam neotique, si uultus eorum indignitate rerum acrior uictorem offendisset. Ita traducti sub iugum (et, quod paene grauius erat, per hostium oculos), cum ex saltu euasissent, etsi uelut ab inferis extracti tum primum lucem aspiciere uisi sunt,

tamen ipsa lux ita deforme intuētibz agmen omni morte tristior fuit. Itaque, cum ante noctem Capuam peruenire possent, incerti de fide sociorum et quod pudor praepediebat, circa uiam haud procul Capua omnium egena corpora humi prostauerunt. Quod ubi est Capuam nuntiatum, euicit miseratio iusta sociorum superbiam ingenitam Campanis. Confestim insignia sua consulibus, fascēs lictoribus, arma, equos, uestimenta, comestus militibus benigne mittunt; et uenientibus Capuam cunctus sensus populusque obuiam egressus iustis omnibus hospitalibus priuatisque et publicis fungitur officiis. Neque illis sociorum comitas uultusque benigni et alloquia non modo sermonem elicere, sed ne ut oculos quidem attollerent aut consolantes amicos contra intuerentur efficere poterant; adeo super maerorem pudor quidem fugere colloquia et coctus hominum cogebat! Postero die cum iuuenes nobiles, missi a Capua, ut proficiscentes ad finem Campanum prosequerentur, reuertissent uocatiqz in curiam percontantibus maioribus natu multo sibi maestiores et abiectioris animi uisus referrent: adeo silens ac prope mutum agmen inaccessisse; "iacere indolem illam Romanam, ablatosque cum armis animos; non reddere salutem, non salutantibus dare responsum, non hiscere quemquam prae metu potuisse, tanquam ferentibus adhuc ceruicibus iugum sub quo emissi essent; habere Samnites uictoriam, non praeclaram solum, sed etiam perpetuam; cepisse enim eos non Roman, sicut ante Gallos, sed, quod multo bellicosius fuerit, Romanam uirtutem ferociamque," cum haec dicerentur audirenturque et deploratum paene Romanum nomen in consilio sociorum fidelium esset, dicitur Ofilius Celeuius, Ouilii filius, clarus genere factisque, tum etiam aetate uerendus, longe aliter se habere rem dixisse: "silentium illud obstinatum fixosque in terram oculos et surdas ad omnia solacia aures et pudorem intuendae lucis ingentem molem irarum ex alto animi cientis indicia esse. Aut Romana se ignorare ingenia, aut silentium illud Samnitibus flebiles breui clamores gemitusque excitaturum, Caudinaeque pacis aliquanto Samnitibus quam Romanis tristiores memoriam fore. Quippe suos quemque eorum animos habiturum, ubicumque congressuri sint; saltus Caudinos non ubique Samnitibus fore."

Iam Romae etiam sua infamis clades erat. Obsessos primum audierunt; tristior deinde ignominiosae pacis magis quam periculi nuntius fuit. Ad famam obsidionis dilectus haberi coeptus erat; dimissus deinde auxiliorum apparatus, postquam deditionem tam foede factam acceperunt; extemploque sine ulla publica auctoritate consensum in omnem formam luctus est. Tabernae circa forum clausae iustitiumque in foro sua sponte coeptum prius quam indictum; latil-claui, anuli aurei positi; paene maestior exercitu ipso ciuitas esse, nec ducibus solum atque auctoribus sponsoribusque pacis irasci, sed innoxios etiam milites odisse et negare urbe tectisque accipiendos. Quam concitationem animorum fregit aduentus exercitus, etiam iratis miserabilis; non enim tanquam in patriam reuertentes ex insperato incolumnes, sed captorum habitu uultuque ingressi sero in urbem ita se in suis quisque tectis abdiderunt ut postero atque insequentibus diebus nemo eorum forum aut publicum aspiciere uellet.

Liber uicesimus secundus

Lupta de la Cannae

XXXVIII Contiones, priusquam ab urbe signa mouerentur, consulis Varronis multae ac feroces fuere, denuntiantis bellum arcessitum in Italiam ab nobilibus mansurumque in uisceribus rei publicae, si plures Fabios imperatores haberet; se, quo die hostem uidisset, perfecturum. Collegae eius Paulli una, pridie quam ab urbe proficisceretur, contio fuit, uerior quam gratior populo, qua nihil inclementer in Varronem dictum, nisi id modo, "mirari se qui dux, priusquam aut suum aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset, iam nunc togatus in urbe sciret quae sibi agenda armato forent et diem quoque praedicere posset qua cum hostes signis collatis esset dimicaturus; se, quae consilia magis res dent hominibus quam homines rebus, ea ante tempus immatura non praecepturum; optare ut, quae cunctate ac consulte gesta essent, satis prospere euenirant; temeritatem, praeterquam quod stulta sit, infelicem etiam ad id locorum fuisse."

XL Profectum Paullum tradunt prosequentibus primoribus Patrum; plebeium consulem sua plebes prosecuta, turba conspectior, cum dignitatē deessent.

XLIII Cum utriusque consulis eadem quae ante semper fuisset sententia, ceterum Varroni fere omnes, Paulo nemo praeter Seruiliū, prioris anni consulem, assentiretur, ex maioris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas urgente fato profecti sunt. Prope eum uicū Hannibal castra posuerat auersa a Vulturno uento, qui campis torridis siccitate nubes pulueris uehit. Id cum ipsis castris percommodum fuit, tum salutare praecipue futurum erat cum aciem derigerent, ipsi auersi, terga tantum afflante uento, in occaecatum puluere offuso hostem pugnaturi.

XLIV Consules, satis exploratis itineribus sequentes Poenum, ut uentum ad Cannas est et in conspectu Poenum habebant, bina castra communiunt eodē ferme interuallo quo ad Gereonium, sicut ante copiis diuisis. Aufidus amnis, utrisque castris affluens, aditum aquatoribus ex sua cuiusque opportunitate haud sine certamine dabat; ex minoribus tamen castris, quae posita trans Aufidum erant, liberius aquabantur Romani, quia ripa ulterior nullum habebat hostium praesidium. Hannibal, spem nactus Iocis natis ad equestrem pugnam, qua parte uirium inuictus erat, facturos copiam pugnandi consules, derigit aciem la-cessitque Numidarum procursatione hostes. Inde rursus sollicitari seditione militari ac discordia consulū Romana castra, cum Paullus Sempronique et Flaminiū temeritatem Varroni, Varro Paulo speciosum timidis ac segnibus exemplum Fabium obiceret, testareturque Deos hominesque hic "nullam penes se culpam esse, quod Hannibal iam uelut usu cepisset Italiam: se constrictum a collega teneri; ferrum atque arma iratis et pugnare cupientibus adimi militibus", ille, "si quod proiectis ac proditis ad inconsultam atque improuidam pugnam legionibus accideret, se omnis culpae exortem, omnis euentus participem fore" diceret; "uideret ut, quibus lingua prompta ac temeraria, aequae in pugna uigerent manus."

XLV Dum altercationibus magis quam consiliis tempus teritur, Hannibal, ex acie, quam ad multam diem tenuerat instructam, cum in castra ceteras reciperet copias, Numidas ad iuadendos ex minoribus castris Romanorum equit^ues trans flumen mittit. Quam inconditam turbam cum, uixdum in ripam egressi, clamore ac tumultu fugassent, in stationem quoque pro uallo locatam atque ipsas prope portas euecti sunt. Id uero adeo indignum uisum, ab tumultuario auxilio iam etiam castra Romana terreri, ut ea modo una causa ne extemplo transirent flumen derigerentque aciem tenuerit Romanos quod summa imperii eo die penes Paullum fuerit. Itaque postero die Varro, cuius sors eius diei imperii erat, nihil consulto collega signum proposuit instructasque copias flumen traduxit sequente Paullo, quia magis non probare quam non adiuuare consilium poterat. Transgressi flumen, eas quoque quas in castris minoribus habuerant copias suis adiungunt atque ita instruunt aciem: in dextro cornu (id erat flumini proprius) Romanos equites locant, deinde pedites; laeuum cornu extremi equites sociorum, intra pedites, ad medium iuncti legionibus Romanis, tenuerunt; ex ceteris leuium armorum auxiliis prima acies facta. Consules cornua tenere, Tarentius laeuum, Emilius dextrum; Geminio Seruilio media pugna tuenda data.

XLIX Cn. Lentulus, tribunus militum, cum praeteruehens equo sedentem in saxo cruore oppletum consulem uidisset, "L. Emili, inquit, quem unum insentem culpa cladis hodiernae Dei respicere debent, cape hunc equum, dum et tibi uirum ^{aliquid} superest et comes ego te tollere possum ac protegere. Ne funestam hanc pugnam morte consulis feceris; etiam sine hoc lacrimarum satis luctusque est. "Ad ea consul: "Tu quidem, Cn. Corneli, macte uirtute esto; sed caue, frustra miserando exiguum tempus e manibus hostium euadendi adsumas. Abi, nuntia publice Patribus, urbem Romanam muniant ac, priusquam uictor hostis aduenit, praesidiis firment; priuatim Q. Fabio, L. Aemilium praeceptorum eius memorem et uixisse adhuc et mori. Me in hac strage militum meorum patere expirare, ne aut reus iterum e consulatu sim aut accusator collegae existam, ut alieno crimine innocentiam meam protegam. "Haec eos agentes prius turba fugientium ciuium, deinde hostes oppressere; consulem, ignorantes quis esset, obruere

telis, Lentulum inter tumultum abripuit equus. Tum undique effuse fugiunt. Septem millia hominum in minora castra, decem in maiora, duo ferme in uicem ipsum Cannas perfugerunt, qui exemplo a Carthagine atque equitibus, nullo munimento tegente uicem, circumuenti sunt. Consul alter, seu forte seu consilio nulli fugientium insertus agmini cum quinquaginta fere equitibus Venusiam perfugit. Quadraginta quinque millia quingenti pedites, duo millia septingenti equites, et tandem prope ciuium sociorumque pars, caesi dicuntur; in his ambo consulum quaestores, L. Atilius et L. Furius Bibaculus, et undetriginta tribuni militum, consulares quidam praetorique et aedilicii (inter eos Cn. Seruilius Geminus et Minucius numerant, qui magister equitum priore anno, aliquot annis ante consul fuerat), octoginta praeterea aut senatores aut qui eos magistratus gessissent unde in senatum legi deberent, cum sua uoluntate milites in legionibus facti essent. Capta eo proelio tria millia peditum et equites mille et quingenti dicuntur.

Liber uicesimus quartus

Assediunt Syracusae - Archimedes

XXXIII Terra marique simul coepta oppugnari Syracusae, terra ab Hexapyle, mari ab Achradina, cuius murus fluctibus alluitur; et, quia, sicut Leontinos terrore ac primo impetu ceperant, non diffidebant uastam disiectamque spatio urbem parte aliqua se inuasuros, omnem apparatus oppugnandarum urbium muris admoerunt.

XXXIV Et habuisset tanto impetu coepta res fortunam, nisi unus homo Syracusis ea tempestate fuisset, Archimedes. Is erat unus spectator caeli siderumque, mirabilior tamen inuentor ac machinator bellicorum tormentorum operumque, quibus quicquid hostes ingenti mole agerent ipse perleui momento ludificaretur. Muros, per inaequales ductos colles, pleraque alta et difficilia

aditu, summissa quaedam et quae planis uallibus adiri possent, ut cuique aptum uisum est loco, ita genere omni tormentorum instruxit. Achradinae murum, qui ut ante dictum est, mari alluitur, sexaginta quinquereimis Marcellus oppugnabat. Ex ceteris nauibus sagittarii funditoresque et uelites etiam, quorum telum ad remittendum inhabile imperitis est, uix quemquam sine uulnere consistere in muro patiebantur (hi, quia spatio missilibus opus est, procul muro tenebant naues); lunatae aliae binae quinquereimes, demptis interioribus remis, ut latus lateri appliceretur, cum exteriori ordine remorum uelut unae naues agerentur, turpes contabulatas machinamentaue alia quatiendis muris portabant. Aduersus hunc naualem apparatum Archimedes uariae magnitudinis tormenta in muris disposuit. In eas quae procul erant naues saxa ingenti pondere emittebat; propriiores leuioribus eoque magis crebris petebat telis; postremo, ut sui uulnere intacti tela in hostem ingererent, murum ab imo ad summum crebris, ~~et~~ illius fere, cauis aperuit, per quae caua pars sagittis, pars scorpio-nibus medicis ex occulto petebant hostem. Quae propius quia quaedam subibant naues, quo interiores ictibus tormentorum essent, in eas tollenone super murum eminente ferrea manus, firmatae catenae illigatae, cum iniecta prorae esset grauique libramento plumbi recelleret ad solum, suspensa prora nauem in puppim statuebat; dein, remissa subito, uelut ex muro cadentem nauem cum ingenti trepidatione nautarum ita undae affligebat ut, etiamsi recta recideret, aliquantum aquae acciperet. Ita maritima oppugnatio est elusa, omnisque spes eo uersa ut totis uiribus terra aggredere-tur. Sed ea quoque pars eodem omni apparatu tormentorum instructa erat. Hieronis impensis curaue per multos annos, Archimedis unica arte. Natura etiam adiuuabat loci, quod saxum cui imposita muri fundamenta sunt magne parte ite ~~proclina~~ est ut non solum missa tormento, sed etiam quae pondere suo prouoluta essent gra- uiter in hostem inciderent. Eadem causa ad subeundum arduum adi- tum instabilemque ingressum praebebat. Ita, consilio habito, cum omnibus conatus ludibrio esset, absistere oppugnatione atque obsi- dendo tantum arcere terra marique connatibus hostes placuit.

Characterul lui Cato

XL In hoc uiro tanta uis animi ingenique fuit ut, quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse factur^{re}us fuisse uidetur. Nulla ars neque priuatae neque publicae rei gerendae ei defuit. Urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia iuris, alios ^{alios eloquentia} gloria militaris prouexit; huic uersatile ingenium sic pariter ad omnia fuit ut natum ad id unum diceres quodcumque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis; idem, postquam ad magnos honores peruenit, summus imperator; idem in pace, si ius consuleres, pertissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum cuius lingua uiuo se uiguerit, monumentum eloquentiae nullum exstet; uiuit immo uigetque eloquentia eius sacra scriptis omnis generis. Orationes et pro se multae et pro aliis et in alios; nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo fatigauit inimicos. Simultates nimio plures et exercuerunt eum et ipse exercuit eas; nec facile dixeris utrum magis presserit eum nobilitas an ille agitauerit nobilitatem. Asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit, sed inuicti a cupiditatibus animi, rigidae innocentiae, contemptor gratiae et diuitiarum. In parsimonia, in patientia laboris periculique ferrei prope corporis animique: quem ne senectus quidem, quae soluit omnia, frangerit; qui sextum et octogesimum annum agens causam ipse pro se orauerit scripseritque, nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi adduxerit iudicium.

Moartea lui HanibalLI

Ad Prusiam regem legatus T. Quinctius Flaminius uenit, quem suspectum Romanis et receptus post fugam Antiochi Hannibal et bellum aduersus Eumenem motum faciebat. Ibi, seu quia a Flaminio inter cetera obiectum Prusiae erat hominem omnium qui uiuerent infestissimum populo Romano apud eum esse, qui patriae suae primum, deinde, fractis eius opibus, Antiochio regi

auctor belli aduersus populum Romanum fuisset, seu quia ipse Prusias, ut gratificaretur praesenti Flaminio Romanisque, per se necandi aut tradendi eius in potestatem consilium cepit, a primo colloquio Flaminii milites extemplo ad domum Hannibalis custodiendam missi sunt. Semper talem exitum uitae suae Hannibal prospexerat animo, et Romanorum inexplebilis odium in se cernens et fidei regum nihil sane fretus; Prusiae uero leuitatem etiam expertus erat; Flaminii quoque aduentum uelut fatalem sibi horruerat. Ad omnia undique infesta ut iter semper aliquod praeparatum fugae haberet, septem exitus e domo fecerat, et ex iis quosdam occultos, ne custodia saepirentur. Sed graue imperium regum nihil inexploratum, quod uestigari uolunt, efficit: totius circuitum domus ita custodiis complexi sunt ut nemo inde elabi posset. Hannibal, postquam est nuntiatum milites regios in vestibulo esse, postico, quod deuium maxime atque occultissimum exitus erat, fugere conatus, ut id quoque occursum militum obseptum sensit et omnia circa clausa custodiis dispositis esse, uenenum, quod multo ante praeparatum ad tales habebat casus, poposcit. "Liberemus, inquit, diuturna cura populum Romanum, quando mortem senis expectare longum censent. Nec magnum nec memorabilem ex inermi proditoque Flaminio uictoriam feret. Mores quidem populi Romani quantum mutauerint uel hic dies argumento erit. Horum patres Pyrrho regi, hosti armato, exercitum in Italia habenti, ut a ueneno caueret praedixerunt; hi legatum consularem, qui auctor esset Prusiae per scelus occidendi hospitis, miserunt." Exsecratus deinde in caput regnumque Prusiae et hospitales deos uiolatae ab eo fidei testes innocens, poculum exhausit. Hic uitae exitus fuit Hannibalis.

LII Trium clarissimorum suae cuiusque gentis uirorum non magis tempore congruente comperabilis mors uidetur esse quam quod nemo eorum satis dignum splendore uitae exitum habuit. Iam primum omnes non in patrio solo mortui nec sepulti sunt. Veneno absumpti Hannibal et Philopoemen; exsul Hannibal proditus ab hospite, captus Philopoemen in carcere et in uinculis exspirauit. Scipio, etsi non exsul neque damnatus, die tamen dicta, ad quam non affuerat reus, absens citatus, uoluntarium non sibi nec ipse solum, sed etiam funeri suo exsilium indixit.

Moartea lui Cicero

M. Cicero sub adventum triumviorum urbe cesserat, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se quam Caesari Cassium et Brutum posse. Primo in Tusculanum fugerat; inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Caieta nauem conscensurus, proficiscitur. Vnde aliquotiens in altum prouectum cum modo uenti aduersi rettulissent, modo ipse iactationem nauis, caeco uolente fluctu, pati non posset, taedium tandem eum et fugae et uitae cepit; regressusque ad superiorem uillam, quae paulo plus mille passibus a mari abest: "Moriar, inquit, in patria saepe seruata." Satis constat seruos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum, ipsum deponi lecticam et quietos pati quod sors iniqua cogeret iussisse. Prominenti ex lectica praebentique imotam ceruicem caput praecisum est. Nec satis id stolidae crudelitati militum fuit; manus quoque, scripsisse in Antonium exproban-
tes, praeciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, iussuque eius inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno aduersus Antonium quanta nulla unquam humana uox cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Vix attollentes prae lacrimis oculos homines intueri trucidati membra ciuis poterant. Vixit tres et sexaginta annos, ut, si uis afuisset, ne immatura quidem mors uideri possit. Ingenium et operibus et praemiis operum felix; ipse fortunae diu prosperae et in longo tenore felicitatis magnis interim ictus uulneribus, exilio, ruina patrium pro quibus steterat, filiae exitu tam tristi atque acerbo, omnium aduersorum nihil ut uiro dignum erat tulit praeter mortem; quae uere aestimanti minus indigna uideri potuit, quod a uictore inimico nihil crudelius passus erat quam quod eiusdem fortunae compos uicto fecisset. Si quis tamen uirtutibus uitia pensarit, uir magna ac memorabilis fuit et in cuius laudes exsequendas Cicerone laudatore opus fuerit.

C. PETRONIUS ARBITER

S a t i r i c o n

Ospătul lui Trimalchio

XXVIII. 1. Itaque intravimus balneum, et sudore calfacti momento temporis ad frigidam eximus. 2. Iam Trimalchio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex lana mollissima factis. 3. Tres interim iatraliptae in conspectu eius Falernum potabant, et cum plurium rixantes effunderent. Trimalchio hoc suum propinasse dicebat. 4. Hinc involutus coccinea gausapa lecticae impositus est praecedentibus phaleratis cursoribus quatuor et chiramaxio, in quo deliciae eius vehebantur, puer vetulus, lippus, domine Trimalchione deformior. 5. Cum ergo auferretur, ad caput eius symphoniacus cum minimis tibiis accessit et tanquam in aurem aliquid secreto diceret, toto itinere cantavit.

6. Sequimur nos admiratione iam saturi et cum ~~Aganemone~~ ad ianuam pervenimus, in cuius poste libellus erat cum hac inscriptione fixus : 7. "quisquis servus sine dominico iussu foras exierit, accipiet plagas centum". 8. In aditu autem ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, atque in lance argentea pisum purgabat. 9. Super limen autem cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat.

XXIX. 1. Ceterum ego dum omnia stupeo, paene resupinatus crura mea fregi. Ad sinistram enim intrantibus non longe ab ostiarii cella canis ingens, catena vinctus, in pariete erat pictus superque quadrata littera scriptum "cave canem". 2. Et collegae quidem mei riserunt, ego autem collecto spiritu non destiti totum parietem persequi. 3. Erat autem venalicium cum titulis pictum, et ipse Trimalchio capillatus caduceum tenebat Minervaeque ducente Roman intrabat. 4. Hinc quemadmodum ratiocinari didicisset denique dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat. 5. In deficiente vero iam porticu levatum mento in tribunal excelsum Mercurus rapiebat. 6. Praesto erat Fortuna cornu abundanti colosa et tres Percae ~~XXXXX~~ aurea pensa torquentes. 7. Notavi etiam in porticu gregem cursorum cum magistro se exercentem. 8. Praeterea grande armarium in angulo vidi, in cuius aedicula erant Lares argentei positi Venerisque signum marmoreum et pyxis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius conditam esse dicebant.

XXX. 1. Nos iam ad triclinium perveneramus, in cuius parte prima procurator rationes accipiebat. Et quod praecipue miratus sum, in postibus triclinii fasces cum securibus fixi, quorum unam partem quasi embolum navis aeneum finiebat, in quo ~~erat~~ erat scriptum : 2. "C. Pompeio Trinalchioni, se viro Augustali, Cinnamus ~~dispensator~~ dispensator". 3. Sub eodem titulo et lucerna bilychis de camera pendebat, et duae tabulae in utroque poste defixae, quarum altera, si bene memini, hoc habebat inscriptum: 4. "IXI et pridie kalendas Ianuarias Cenoster foras cenat", altera lunae cursum stellarumque septem imagines pictas; et qui dies boni quique incommodi essent, distinguente bulla notabantur.

5. His repleti voluptatibus cum conaremur in triclinium intrare, exclamavit unus ex pueris, qui super hoc officium erat positus : 6. "dextro pede". Sine dubio paulisper trepidavimus, ne contra praeceptum aliquis nostrum limen transiret. 7. Ceterum ut pariter movimus dextros gressus, servus nobis despoliatus procubuit ad pedes ac rogare coepit, ut se poenae eriperemus : nec magnam esse peccatum suum, propter quod pericliteretur ; 8. subducta enim sibi vestimenta dispensatoris in balneo, quae vix fuissent decem sestertiorum. 9. Rettulimus ergo dextros pedes dispensatoremque in atrio aureos numerantem deprecati sumus, ut servo remitteret poenam. 10. Superbus ille sustulit et "non tam iactura me movet" inquit "quam negligentia nequissimi servi. 11. Vestimenta mea cubitoria perdidit, quae mihi natali meo cliens quidam donaverat, Tyria sine dubio, sed iam senel loto. Quid ergo est ? dono vobis eum".

XXXI. 1. Obligati tam grandi beneficio cum intrassemus triclinium, occurrit nobis ille idem servus, pro quo rogaveramus, et stupentibus spississimis basia iniecit gratias agens humanitati nostrae. 2. "Ad summan, statim scietis" ait "cui dederitis beneficium. Vinum dominicum ministratoris gratia est".

3. Tandem ergo discubimus pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infudentibus aliisque insequentibus ad pedes ac opronychia cum ingenti subtilitate tollentibus. 4. Ac ne in hoc quidem tam molesto tacebant officio, sed obiter cantabant.

Dialogus de oratoribus

Elogiul poeziei

XII. 1. Nemone uero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat tantam mihi afferunt uoluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod non in strepitu nec sedente ante ostium litigatorum nec inter sordes ac lacrimas rerum componuntur sed secedit apertus in loca pura atque innocentis fructusque sedibus sacris. 2. Haec eloquentiae primordia, haec penetralia: hoc primum habitu cultaque comoda mortalibus in illa casta et nullis contacta uittis pectora influxit: sic oracula loquebantur. Nam luerosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et malis moribus natus, atque ut tu dicebas, Aper, in locum belli reperi-tus. 3. Ceterum felix illud et, ut more nostro loquar, aureum saeculum, et oratorum et criminum inops postis et uatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. 4. Nec uille aut gloria maior aut augustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud illos diis genitos sacrosque reges inter, quos neminem cauidicorum, sed Orphea et Linum ac, si introspicere altius uelis, ipsam Apollinem accipimus. 5. Vel si haec fabulosa nimis et composita uidentur, illud certe mihi concedes, Aper, non uilior norem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec augustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. 6. Plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam quam qui Vergilii detrectent: nec ullus Asinii aut Messallae liber tam illustris est quam Medea Ouidii aut Varii Thyestes.

XIII. 1. Ac de fortunam quidem uatum et illud felix contubernium comparare timuerim cum inquiete et anxia oratorum uita. Licet illos certamine et pericula sua ad consulatus euehant, malo securum et quietum Vergilii secessum in quo tamen neque apud diuum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. 2. Testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui

auditis in theatro Vergilii uersibus surrexit uniuersus et forte praesentem spectantemque ueneratus est sic quasi Augustum. 3. Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio uel dignitate uitae uel perpetuitate famae cesserit. 4. Nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me uocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent, an quod timentur? quod, cum cotidie aliquid rogentur, uel ii quibus praestant indignantur? quod alligati omni adulatione nec imperantibus unquam satis serui uidentur nec nobis satis liberi? quae haec summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. 5. Me uero dulces, ut Vergilius ait, Musae, remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate cotidie aliquid contra animum faciendi in illa sacra illosque fontes ferant; nec insanum ultraeet lubricum forum famaeque pallentem trepidus experiar. 6. Non me fremitus salutantium nec anhelans libertus excitat, nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam, nec plus habeam quam quod possim cui uelim relinquere (quandoque enim fatalis et meus dies ueniet), statuarque tumultu non maestus et atrox, sed hilaris et coronatus et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget".

De uita moribus Iulii Agricolae

Britannia si locutorii sai

X.1. Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos, non in comparisonem curae ingeniiue referam, sed quia tum primum perdomita est: ita quae priores, nondum comperta, eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. 2. Britannia, insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia eius, nullis contra terris, uasto atque aperto mari pulsantur. 3. Formae totius Britanniae Liuius ueterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae uel bipenni assimilauerunt. Et est ea facies citra Caledoniam, unde et in uniuersum fere; sed transgressis immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum uelut in cuneum tenuatur. 4. Hanc oram nouissimae maris tunc primum Romana classis circumuenta insulam esse Britan-

niam affirmauit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas uocant, inuenit domuitque. 5. Dispecta est et Thyle, quia hactenus iussum et hiems appetebat. Sed mare pigrum et graue remigantibus perhibent ne uentis quidem proinde attolli, credo quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. 6. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est ac multi retulere; unum addiderim nusquam latius dominari mare multum fluminum huc atque illuc ferre nec litore tenuis accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et, iugis etiam ac montibus inseri uelut in suo.

XI. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an aduecti, ut inter barbaros, parum compertum. 2. Habitus corporum uarii atque ex eo argumenta. . Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem asseuerant; Silurum colorati uultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania Hiberos ueteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt, proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis ui, seu procurrentibus in diuersa terris positio caeli corporibus habitum dedit. 3. In uniuersum tamen aestimanti Gallos uicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuassione; sermo ^{haud} multum diuersus: in deprecandis ^{periculis} eadem audacia et ubi aduenere, in detractandis eadem formido. 4. Plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intrauit, amissa uirtute par iter ac libertate. Quod Britannorum olim uictis euenit: ceteri manent quales Galli fuerunt. In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur. Honestior auriga, clientes propugnant. Olim regibus parebant nunc per principes factionibus et studiis trahuntur. Nec aliud aduersus ualidissimas gentes pro nobis utilius quam quod in commune non consulunt (rarus duabus tribusue ciuitatibus ad propulsandum commune periculum conuentus); ita singuli pugnant, uniuersi uicuntur.

XII. Caelum crebris imbribus ac nebulis foedum, asperitas frigoribus adest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et

extrema Britanniae brevis, ut finem atque intium lucis exiguo discrimine internoscas. 2. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exurgere, sed transire affirmant. Scilicet extrema et plana terrarum, humili umbra, non erigunt tenebras, infraque caelum et sidera non cedit. 3. Solum praeter oleam uitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum tarde mitescunt, cito proueniunt; eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum caelique. 4. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium uictoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed sublusca ac liuentia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur: nam in Rubro mari uigae ac spirantiae saxis auelli, in Britannia prout expulsa sint, colligi: ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis auaritiam. 5. Ipsi Britanni dilectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriarum absint: has aegre tolerant, iam domiti ut pareant nondum seruiant.

De origine, situ, moribus
ac populis germanorum

V. Terra, etsi aliquando specie differt, in uniuersum tamen aut siluis horrida aut paludibus foeda, umidior qua Gallias, uentosior qua Noricum ac Pannoniam adspicit; satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera. Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis: numero gaudent, eaeque ^{solae} gratissimae opes sunt. (2) Argentum et aurum propitiis an irati di negauerint dubito. Nec tamen affirmauerim nullam Germaniae uenam argentum aurumue gignere: quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud perinde efficiuntur. Est uidere apud illos argentea uasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia uilitate quam quae humo finguntur: quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio ^{habent} formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. (3) Pecuniam probant ueterem et diu notam serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilius usui est promiscuis uiliis mercantibus.

VII. Reges ex nobilitate, duces ex uirtute sumunt. Nec regibus, infinita aut libera potestas, et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum neque animaduvertere neque uincire, ne uerbare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed uelut deo imperante quem adesse bellantibus credunt. (2) Efficiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt: quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates; et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde uagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores; ad matres, ad coniugēs uulnera ferunt: nec illae numerare aut exigere plagae pauent, cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

VIII. Memoriae proditur quasdam acies inclinatās iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captiuitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi ciuitatum quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et prouidum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa neglegunt. Vidimus sub diuo Vespasiano Velaedam diu apud plerosque numinis loco habitam; sed et complures alias uenerati sunt, non adulatione nec tamquam facerent deas.

XI. De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes praetractentur Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant, Sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem uidetur. Illud ex libertate uitium, quod non simul nec ut iussi conueniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coentium absumitur. (2) Ut turba placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. Mox rex uel princeps prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate.

Si displicuit sententia, fremitu asperantur; sin placuit, fra-
meas concutiunt: honoratissimum assensus genus est armis la-
dare.

XII. Licet apud concilium accusare quoque et discremen capit^{ti}
inten dere. Distincto poenarum ex delicto, ~~Prod~~tores et trans-
fugas arboribus suspendunt, ingenuos et imbelles et corpore in-
fames caeno ac plaude, iniecta insuper crate, mergunt. Diuer-
sitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oport-
teat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et leuioribus de-
lictis pro modo poena: equorum pecorumque numero conuicti mul-
tantur. Pars multae regi uel ciuitati, pars ipsi qui uindica-
tur uel propinquis eius exsoluitur. Eliguntur in iisdem con-
ciliis et principes qui iura per pagos uicosque, reddunt; cen-
teni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas,
adsunt.

Viața privată

XXI. Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui amici-
tias necesse est: nec implacabiles durant: luitur enim etiam
homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satis-
factionem uniuersa domus, utiliter in publicu^m, quia periculo-
siores sunt inimicitias iuxta libertatem.

(2) Conuiotibus et hospitiiis non alia gens effusius indulget.
Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna
quisque apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hos-
pes fuerat, monstrator hospitii et comes; proximam domum non
inuitati adeunt. Nec interest: pari humanitate accipiuntur.
Notum ignotumque quantum ad ius hospitis nemo discernit. Absun-
ti, si quid poposcerit, concedere moris; et poscendi inuicem
eadem facilitas. Gaudent muneribus, sed nec data imputant nec
acceptis obligantur.

HISTORIAESituatio la Roma in anul 68 e.n.

III.1. Non tamen adeo uirtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit. Comitatae profugos liberos matres, secutas maritos in exilia coniuges; propinqui audantes, constantes generi, contumax etiam aduersus tormenta seruorum fides; supremas clarorum uirorum necessitates, ipsae necesse fertiter toleratae et laudatis antiquorum mortibus paros exitus. 2. Praeter multiciples rerum humanarum casus caelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum praesagia, laeta, tristitia, ambigua, manifesta. Nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus magisque iustis indiciis adprobatum est non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.

IV.1. Ceterum antequam destinate componam, repetendum uidetur, qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe ualidum, quid aegrum fuerit, ut non modo casus euentusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur. 2. Finis Neronis ut laetus primi gaudentium impetu fuerat, ita uarios motus animorum non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque concideret, euolgato imperii arcano, posse principem alibi quam Romae fieri. 3. Sed patres laeti, usurpata statim libertate licentius ut erga principem locum et absentem; primores equitum proximi gaudio patrum; pars populi integra et magnis donibus adnexa, clientes libertique damnatorum et exulum in spem erecti; plebs sordida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi seruorum, aut qui adesis bonis per dedecus Neronis alebantur, maestis et rumoribus auidi.

V. 1. Miles urbanus longo Caesarum sacramento inbutus et ad destituendum Neronem arte magis et impulsu quam suo ingenio ductus, postquam neque dari donatium sub nomine Galbae promissum neque magnis meritis ac praemiis eundem in pace quem in bello locum praeuentamque gratiam intelligit apud principem a legionibus factam, pronus ad nouas res scelere insuper Nymphidii Sabini praefecti imperium sibi molientis agitatur.

2. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus, sed quamuis capite defectionis ablato manebat plerisque militum conscientia, nec deerant sermones senium atque auaritiam Galbae increpantium. Laudata olim et militari fama celebrata seueritas eius angebat asperantes ueterem disciplinam atque ita quattuordecim annis a Nerone aduefactos, ut haud minus uitia principum amarent, quem olim uirtutes uerebantur, accessit Galbae uox pro re publica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non eni; nec enim ad hanc formam cetera sunt.

Liber secundus

Vitellius pe cîmpul de luptă de la Bedriac

LXX.1. Inde Vitellius Cremonam flexit et spectato munere Caecinae insistere Bedriacensibus campis ac uestigia recentis uictoriae lustrare oculis concupiuit. Foedum atque atrox spectaculum intra quadregesimum pugnae diem: lacera corpora, trunci artus, putres uirorum equorumque formae, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira uastitas. 2. Nec minus inhumana pars uiae, quam Cremonenses lauru rosaque constrauerant, extructis altaribus caesisque uictimis regium in morem; quae laeta in praesens mox perniciem ipsis fecere. 3. Aderant Valens et Caecina monstrabantque pugnae locos; hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus; iam tribuni praefectique sua quisque facta extollentes falsa uera aut maiora uero miscebant. Volgus quoque militum clamore et gaudio deflectere uia, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri mirari; et erant quos uaria sors rerum lacrimaeque et misericordia subiret. 4. At non Vitellius flexit oculos nec tot milia insepultorum ciuium exhorruit: laetus ultro et tam propinquae sortis ignarus instaurabat saorum dis loci.

Dezordine în armata lui Vitellius

LXXXVIII.1. Multae et atroces inter se militum caeden, post

seditionem. Ticini coeptam manente legionum auxiliorumque discordia; ubi aduersus paganos certandum foret, consensu. Sed plurima strages ad septimum ab urbe lapidem. Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos ut gladiatoriam saginam diuidebat, et effusa plebes totis se castris miscuerat. 2. Incuriosos milites (nebacula utebantur urbanitate) quidam spoliare, abscisis furtim balteis, an sociinti forent, rogitantes. Non tulit librum insolens contumeliarum animus; inermem populum gladiis inuadere. Caesus inter alios pater militis cum filium comitaretur, deinde agnitus, et uolgate caesa temperatum ab innoxis. 3. In urbe tamen trepidatum praecurrentibus passim militibus; forum maxime petebant cupidine uisendi locum, in quo Galba iacuisset. Nec minus saeuum spectaculum erant ipsi tergis ferarum et ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inscitiam parum uitarent aut, ubi lubrico uiae uel occursu alicuius procidissent, ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent. Quia et tribuni praefectique cum terrore et armatorum cateruis uolitabant.

Liber primus

Ab excessu diui Augusti (Annales)

Prefață

I.1. Urbem Romam a principio reges habuere. Libertatem ex consu-
latum L. Brutus instituit. Dictaturae ad tempus sumebantur; ne-
que decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum mili-
tum consulare ius diu ualuit. Non Cinnae, non Sullae longa do-
minatio; et Pompeii Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidum
atque Antonii arma in Augustum cessare, qui cuncta discordiis
fessa, nonine principis, sub imperium accepit. 2. Sed ueteris
populi Romani prospera uel aduersa clariis scriptoribus memorata
sunt, temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenio,
donec gliscente adulatione deterrentur. Tiberii Caiique et
Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum uelut sae, pos-
tquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. 3. Inde con-
siliu mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii
principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas praecul
habeo.

Mors tua lui Britannicus. Conflictul cu
Agrippina

XIV...2. Et Nero, infensus iis quibus superbia muliebris innitebatur, demouet Pallantem cura rerum quis a Claudio impositus uelut arbitrium regni agebat; ferebaturque, degrediente eo magna prosequentium multitudine, non absurde dixisse, ire Pallantem ut eiureret. 3. Sane pepigerat Pallas ne cuius facti in praeteritum interrogaretur paresque rationes cum re publica haberet. Praeceptis posthac Agrippina ruere ad terrorem et minas, neque principis scribis abstinere quo minus testaretur adultum iam esse Britannicum, ueram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio quod insitus et adoptiuus per iniurias matris exercebat. Non abnuere se quin cuncta infelicis domus mala pat' fierent, suae in primis nuptiae, suum ueneficium; id solum diis et sibi prouisum quod uiueret priuignus. 6. Ituram cum illo in castra; audiretur hinc Germanici filia, inde debilis rursus Burrus et exul Seneca, trunca scilicet manu et professoria linguae generis humani regimen expestantes. 7. Simul intendere manus, adgerere proba, consecratum Claudium infernos Silanorum manibus inuocare et tot inrita facinora.

XVI.1. Mos hebetatur principum liberos cum ceteris idem aetatis nobilibus sedentis uesci in aspectu propinquorum propria et parciore mensa. 2. Illic epulante Britannico, quia cibos potusque eius delectus ex ministris gustu explorebat, ne omitteretur institutum aut utriusque morte proderetur scelus, salis dolus repertus est. 3. Innoxia adhuc ac praecelida et libata gustu potio traditur Britannico; dein, postquam feruore aspernabatur, frigida in aqua adfunditur, uenenum, quod ita cunctos eius artus perussit ut uox pariter et spiritus repererentur. 4. Trepidatur a circum-sedentibus; diffugiunt imprudentes; at quibus altior intellectus resistent defixi et Neronem intuentes. 5. Illa, ut erat neclinis et nescio similis, ^{salitum} ita est per comitalem morbum quo prima ab infantia affligeretur Britannicus, et redituros

paulatim visus sensusque. 6. At Agrippinae is paucor, ea consternatio mentis, quamvis uultu premeretur, emicuit ut perinde ignaram fuisse atque Octauiam sororem Britannici constiterit; quippe sibi supremum auxilium ereptum et patricidii exemplum intellegebat. 7. Octauia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnis affectus abscondere didicerat. 8. Ita post breue silentium repetita conuiuii laetitiae.

XVII.1. Nox eadem necem Britannici et rogam coniunxit, prouiso ante funebri paratu, qui modicus fuit. 2. In campo tamen Martis sepultus est adeo turbidibz ambribus, ut uulgus iram deum portendi crediderit aduersus facinus cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes. 4. Festinationem exequiarum adioto Caesar defendit, id a maioribus institutum referens, subtrahere oculis acerbis funera neque laudationibus aut pompa detinere. 5. Ceterum et sibi amisso fratris auxilio reliquas spes in re publica sitas, et tanto magis fouendum patribus populoque principem qui unus superesset e familia summum ad fastigium genita.

XVIII.1. Exin largitione potissimos amicorum auxit. 2. Nec defuere qui arguerent uiros grauitatem adseuerantis, quod domos, uillas id temporis quasi praedia diuisissent. 3. Alii necessitatem adhibitam credebant a principe sceleris sibi consilio et ueniam sperante, si largitionibus ualidissimum quemque obstrinxisset. 4. At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octauiam, crebze cum amicis secreta habere, super ingentem auaritiam undique pecunias quasi in subsidium corripiens, tribunos et centuriones comiter excipere, nomina et uirtutes nobilitum, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quaereret ducem et partis. 5. Cognitum id Neroni, exoubiasque militaris quae ut coniugi imperatoris olim, tum ut matri seruabantur, et Germanos, nuper eundem in honorem custodes additos, digredi iubet. Ac ne coetu salutantium frequentaretur, separat domum matremque transfert in eam quae Antoniae fuerat, quoties ipse illuc uentitaret, saeptus turba centurionum et post breue aesculum digrediens.

XIX.1. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam fama potentiae non sua ui nixae. 2. Statim relictum Agrippinae limen; nemo solari, nemo adire praeter paucas feminas, amore an odio incertas.

Liber quartus decimus

Răscoala din Britania: cauze

XXXI.1. Rex Icenorū Prasutagus, longa opulentia clarus, Caesarem heredem duasque filias scripserat, tali obsequio ratus regnumque et donum suum procul iniuria fore. 2. Quod contra uertit, adeo ut regnum per centuriones, domus per seruos uelut capta uastarentur. 3. Iam primum uxor eius Boudicca uerberibus affecta et filiae stupro uiolatae sunt; praecipui quippe Icenorū, quasi cunctam regionem muneri accepissent, auitis bonis exuuntur, et propinqui regis inter manicipia habebantur. 4. Qua contumelia et metu grauiorum, quando in formam prouinciae cesserant, rapiunt arma, commotis ad rebellionem Trinobantibus et qui alii nondum seruitio fracti resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in ueteranos odio. 5. Quippe in coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris, captiuos, seruos appellando, fouentibus impotentiam ueteranorum militibus similitudine uitae et spe eiusdem licentiae. 6. Ad hoc templum diuo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis aspiciebatur, delectique sacerdotes specie religionis omnis fortunas effundebant. 7. Nec arduum uidebatur excindere coloniam nullis munimentis saeptam; quod du-cibus nostris parum prouisum erat dum amoenitati priusquam usui consulitur.

Liber quintus decimus

Conjurația lui Piso

XLVIII.1. Insunt deinde consulatum Silius Nerva et Atticus Vestinus, coepta simul et aucta coniuratione in quam certatim nomina dederant senatores, eques, miles, feminae etiam, cum odio Neronis tum fauore in C. Pisonem. 2. Is Calpurnio genere ortus ac multas insignisque familias paterna nobilitate complexus, claro apud uulgum rumore erat per uirtutem aut species uirtutibus similis. 3. Namque facundiam tuendis ciuibz excer-

cebat, largitionem aduersum amicos et ignotis quoque conuiuium
mone et congressu; aderant etiam fortuita, corpus procerum,
decora facies: sed procul grauitas morum aut uoluptatum par-
simonia; leuitati ac magnificentiae et aliquando luxu indul-
gebat, idque pluribus probabatur qui in tanta uitiorum dulcen-
dine summum imperium non restrictum nec praeseverum uolunt.

LXXII.1. Quibus perpetratis Nero et contione militum habita,
bina numerum milia uiritim manipularibus diuisit addiditque si-
ne pretio frumentum, quo ante ex modo annonae utebantur. 2. Tum
quasi gesta bello expositurus uocat senatum et triumphale decus
Petronio Turpiliano consulari, Cocceio Neruae praetori desig-
nato, Tigellino praefecto praetorii tribuit, Tigellinum et Ner-
uam ita extollens ut super triumphalis in foro imagines apud
Palatium quoque effigies eorum sisteret. 3. Consularia insig-
nia Nymphidio. Sabino

CUPRINSUL

Publius Vergilius Maro	pag. 1-12
Quintus Horatius Flac ^o us	" 13-25
Titus Livius	" 26-37
C. Petronius Arbiter	" 38-39
P. Cornelius Tacitus	" 40-52

1987

1987

1987

1987

1987

1987

1987

1987

1987

1987

1987

INSTRUMENTE DE LUCRU
N. 22199

VERIFICAT
1987

